



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

32 Illud quoq[ue] non mediocriter timendum est ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

Malefactores hos publice criminali iudicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea per quod rarissimum uncti illi malefactores merita plecentur poena. Adhuc adstringuntur, obliganturque Episcopi per sua Capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam iura, poenis utcumque leuibus, punire, affligereque non audeant. Quae res tota eo spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac Ecclesiasticos, similitates, dissidia, atque odia plus quam Vatiniana oriantur.

Illud quoque non mediocriter timendum est, ut si personae ecclesiasticae, iam dicti oneris, aliorumque maleficiorum causa, quae quotidie perpetrare pergunt, non equa iura, iudices equos, paresque poenas habeant, quod eorum vita offendiculosa apud laicorum vulgus tumultum quempiam, seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos ecclesiasticos, sed & contra magistratus, ac superiores omnes, quod impunita sinant maleficia tam notoria, commotura, excitaturaque sint. 32

Quapropter necessitas, equitasque ipsa sibi postulant, ut ecclesiasticarum personarum praedicta praesumpta priuilegia abrogentur, aboleantur, e medio tollanturque, ac illarum gratia finaliter sanciantur, caueatur, ac statuatur, quod ordinati in maioribus vel minoribus constituti, vna cum personis laicis, equa habeant iura, eque iudices, paresque poenas: ita quod ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam praetendere possint praerogatiuam, immunitatemue, sed ut quisque delinquentium ecclesiasticorum, sub quo deliquit iudice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram, non secus atque alij malefactores, poena a iure communi imperij imposita delicto, commensurataque, plecti, puniri, & affici possit atque debeat. Id quod vere ecclesiasticis, hoc est patribus & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit, tantum abest, ut per hoc ledi ius eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantum ecc.